

CAPUT II.

*De Iis, qui Ductum Thoracicū,
raro in homine spectaculo,
obſervarunt.*

§. I.

Hunc itaque ductum, quem thoracicū vocant, in brutis animalibus dari, autopsia Anatomica, & modo non infinitæ vivorum sectiones satis superque confirmant, ita ut non facilè credam, ulli Recentiorum nostri seculi vel levissimum hāc de re dubium supereſſe. At hic non levis de Homine oritur dubitatio, an nimirum pari ratione in hoc existat, de qua quidem re non æquè unanimis apud omnes consensus est. Illi qui de ejus existentia hucusque non dubitauſt, ejusque patrocinium in ſe ſuſcepereunt, argumentum de ejus neceſſitate allegant, quippe quam tantam in homine, quantam in animalibus brutis ſtatuunt. Verū huic ipſi firmiſſimum alſenſum præbere detrectant, quibus omnis ſuſpecta novitas eſt, niſi quam certiſſima ſenſuum fides & magistra rerum Experientia ſtabilivit. Hęc autem in homine vivo demonſtrare velle, religio verat. Namque uti Medicina, ita & Anatomia fugienda eſt, quam docet crudelitas, & abominanda ſapiencia, quam parit homicidium. Id quod tamen Erasistratum & Herophilum à vivorum feſtione non deterruit. Longè aliter verò ſenſit *Casp. Afellini*, dum *Difſ. de Ven. Lact. loc. ſupr. cit.* ita loqui-

loquitur: *Hominem vivum, quod tamen Erasistratus olim & Herophilus non timuere, non incidi, (fateor) nec intendam, qui nefas & morte piandum cum Celso in proœm. art. med. existimo, præsidem salutis humane artem, pestem alicui, eamq; atrocissimam inferre.* Quod verò ad supplicium damnatos attinet, quos probè alere, & statim postquam debitas scelerum suorum poenas lucranti cultro anatomico subjecere oporteret, id ipsum quidem satis aptum ad veritatem hujus rei inquirendam modum esset, si cuilibet illud adhibendi occasio faveret & plerique horum, qui morti proximi sunt, cibos aliud mere non detrectarent; supervacaneum esse judicantes, vitam, quam brevi se perdituros certò norunt alimentis protrahere velle,

§. II.

Quæ tamen rara alias fors Th. Bartholino, qui in aliis in rebus, ita quoque in hac plurimis palmam præ ripuit, obtigit, quemadmodum id ipsum *Hist. 53 & 54. Cent. I. & Epist. 40. Cent. II. item tr. de Lact. Thor. 6. 5. & 7.* attestatur. Is enim factis in omni fermè animalium genere, præsertim canibus experimentis plurimis humana tandem cadavera rotæ alioquin & perpetuæ cruci adjudicata, benèque pasta Friderico III. Dñorum Rege clementer annuente nactus, extaque eorum recentia intuitus & perscrutatus, in singula tam publicè quam privatim accuratius inquisivit, illamque chyli officinam nobis etiam in humanis corporibus detexit. In uno enim, quod infanticidæ cadaver fuit, lacteas mesaraicas & thoracicas chylo repletas inventis; in altero verò, nempe furis, licet nullum pri-

rum vestigium visum fuerit, tamen spe aut expectatio-
 ne suâ non frustrabatur; siquidem glandulae lumbares
 & in thorace ductus chylo vehendo destinati nihilomi-
 nus comparebant, quos etiam unâ cum eorum decur-
 su & in subclaviam insertione figurâ eleganti exprimi
 curavit, quæ locis supra citatis videri potest. Hæc Bar-
 tholini observatio quamvis horum ductuum fabricam
 unò eodemque modō ob oculos nobis ponat, tamen
 si autopsiam sæpius repetitam consulimus, illa confir-
 mat, eandem non in brutis solū pro specierum indi-
 viduorumque diversitate, sed etiam in ipso homine
 pari ratione mirum in modum variare. In quo in-
 signis hic Anatomicus, (qui huic scientiæ multum
 alias lucis conciliavit & splendoris) nullam cisternam
 seu faccum chyli, nullum etiam receptaculum admit-
 tit, has nomenclaturas solis in brutis locum habere
 asserens; illius autem loco in corpore humano tres
 utplurimum, aliquando plures, glandulas lumbares
 succo chyloso turgidas nobis exhibet, è quibus totidem
 rami asflurgunt, seque in viam regiam seu ve-
 rum ductum exonerant. Circa medianam namque spi-
 nam diaphragma penetrant isti rami, & circa primam
 lumborum vertebram duo junguntur primâ insercio-
 ne; circa duodecimam dorsi alius è secunda glandula
 emergens, paulo supra priorum insertionem intrat;
 prope undecimam verò dorsi vertebram tertius visi-
 tur à tertia glandula ortus, è quibus omnibus formatur
 solitarius ramus per dorsi longitudinem ascendens,
 qui thoracicus vulgo nuncupatur. Idem porro in-
 sertionem, quæ alias ordinariâ naturæ lege non nisi
 duplex occurrit, in priore subiecto triplici ramulo

conspicuum annotavit, quorum medius eo in loco,
qui insertioni venæ jugularis è diametro oppositus est,
& quidem parti inferiori, inseritur; sinister surculus
axillari; dexter vero subclaviæ magis implantatur;
quamvis, si dicendum quod res est, omnes in univer-
sum parvam admodum inter se distantiam habeant.

§. III.

Firmum itaque manet, Naturam etiam in homi-
ne quoad harum partium fabricam mirum in modum
ludere, & in diversis variare; neque tamen levem
observationum & accidentium dissensum rem ipsam
evertere. Hinc non statim errasse dicendus ille est,
qui ratione in multis diversâ, ac alii has vias deprehen-
derunt; quod ipsum tamen *Auctores Bibliothecæ Anatomi-
cae Tom. II. in proœm. hist. vas. lact.* facere videntur,
dum Cl. Bartholinum erroris incusant, quod Cisternæ
Pecqueti, quam in quovis homine tanquam saccum
membranosum insigniter cavum concipiunt, glandu-
las lumbares substituat, utpote quas magnæ mesente-
rii glandulæ brutorum vicarias esse autemant; nulli
alii fundamento innixi, quam illi, quod Ol. Rudbeck.
& Isbr. Diemerbrœck succum quoque membranosum
repererint. Absit autem à nobis, ut Virum, cui tam
multa in rebus Anatomicis debemus, lapsus alicujus
hâc in re accusemus, & harum glandularum exi-
stentiam negemus; quin potius propria istam autopsia
stabiliamus, quippe quas in subiecto virili vidimus,
& manibus palpavimus, ut illud è fig. II. lit. c.c. elu-
cescit. In hoc tamen laudatus Anatomicus humani
aliquid passus esse videtur, quod, quia has glandulas in
paucis

panticis numero cadaveribus (nimirum sex, vid. tr. de
dub. lac̄t. thor. prior. c. 2.) eādem ratione vedit, mox
universaliter concludat, sibique persuadeat, easdem in
omnibus subjectis pari modo sese habere: uti id patet
ē cap. 6. l. c. ubi, postquam de receptaculi structura in
brutis sermonem fecerat, pronunciat: *In hominibus*
diversam prorsus substantiam, nimirum glandulosam esse
& instar aliarum mesenterij glandularum solidam, ve-
nulis lacteis quasi irrigatam, chyli tamen minimos anfra-
ctus capacem. Cui porrò substantiæ in homine quoque
cavitudinem, sed minorem, quam in brutis, in verbis ante-
cedentibus adjudicat. Quæ cum ita sint, nemo, ut opini-
nor, vitio nobis vertet, si idem, quod de se, suoque de
Lacteis Thoracicis scripto judicium tulit saepè jam lau-
datus Auctor, huc ponamus. Enī itaque ingenuam
Ejus confessionem, quam Epist. 78. Cent. III. ad Schen-
ckium his verbis expressit: *Prius Tibi in aurem dictum*
velim, non pauca in historia mea de lacteis thoracicis à
*me esse scripta, quum necdum in accuratam vasorum lym-*phaticorum notitiam pervenisset, proinde nonnulla ex his*
mutanda esse, quod ipse non monitus perspicies. Quæ
potissimum intellecta volumus de ramulis illis lacteis,
quos à mesenterio ad hepar quoque diffundi obser-
vasse sibi visus est; qui eundem etiam moverunt, ut
hepar de throno deturbare, & prorsus in exilium age-
re dubitaverit. conf. Epist. 13. Cent. II. Hos autem du-
ctus vasa lymphatica esse hepati propria, suumque li-
quorem ab hoc ad vias lacteas devichere, apud omnes
hodiè in confessio est.*

§. IV.

Quamvis autem non cuivis Corinthum adire con-
tingat,

tingat, illud tamen non impedit, quo minus eadem, quā Cl. Bartholinus gavisus est, sors aliis etiam evenire possit, præsertim ubi cadavera catharrō suffocativō, apoplexiā, aliāque morte subitanē extincta, & cultro anatomico subjicienda ipsis se offerunt. Inter quos recenseri jure meretur Amplissimus Facultatis Medicæ Senior, Excell. D. D. Jo. Valent. Scheid, Præceptor noster Venerandus, qui, cum anno 1700. die 12. mens. Februar. corpus suspensi, ejusque viscera, in situ Curiosorum oculis publicè exponeret, naturæ mysteria facundo, uti solet, ore explicaturus, aliudque senis catarrhō suffocativō extincti cadaver, variorum viscerum præparationi destinatum, in Theatrum nostrum Anatomicum deportari curasset, in hoc vase lactea & primi & secundi generis, unā cum receptaculo lumbari & ductu thoracico non conspexit modō, sed &, cuicunque volupe erat rarum hoc spectaculum intueri, ad oculum demonstravit, ita ut & illis, quibus tardior alias ad nova quæque assensus est, omnis de hac rei novitate scrupulus exemptus fuerit. Facilè etiam rarer hæc observatio perfici & ad finem deduci, duetusque in venam subclaviam insertio ostendi potuisset, nisi cadavere, cum sternum levaretur, paulo incautius tractato, vena illa lœsa fuisset; nihilominus tamen vidimus chylum compressis infimi ventris visceribus, & postea lac injectum in eandem profilire. Par quoque felicitate fruitus est Excell. D. D. Henninger Promotor & Collega noster honorandus, qui anno elapso 1707. in subjecto mulieris nationis Gallicanæ & morbo subitaneo defunctæ eundem ductum, & quidem, uti in homine id ipsum solenne est, in dextro latere,

tere, non chylo turgidum, sed à lymphā viscidiore
pellucentem, imò aliquatenus rutilantem observavit.
Præterea aliorum etiam corporis humani Indagato-
rum de hoc ductu observationes hinc inde in Anato-
micorum monumentis prostant. Audiamus hác de-
re Isbr. Diemerbrack Anat. I.I. c. II. ita loquentem:
Anno 1654. in duobus corporibus humanis morbi violentiā
extinctis illum (ductum thoracicum) inveni, & Medici-
ne studioſis demonstravi. Primò, mense Aprili in cada-
vere mulieris longiusculo morbo emaciatae, sed, dum vive-
ret, sicculeſe, in quo illum altero post mortem die, sero ac
lymphā turgidum reperi, & spectatoribus præsentibus
ostendi. Secundo, mense Mayo in muliere pleuritide sinistri
lateris extincta, quæ præstī multum biberat, atq; hinc &
receptaculum, & hunc ductum seroso humore turgidum ha-
bebat. Pergit idem; se in pluribus postmodum corpo-
ribus humanis eundem investigasse & demonstrasse, atque
notabilem in receptaculo diversitatem invenisse; quæ apud
eundem l.c. videri potest. Quod vero addat, se in
utroque subjecto talem ductus situm reperiſſe, qualis
in canibus observari solet, iteratae & constantia aliorum
autopsiae contrariari videtur. Sic etiam Ol. Borrich.
Cent. IV. Ep. 76. ad Barth. scriptum nobis reliquit, se
illum non modo ſæpius in brutis, sed etiam non raro
in homine bifurcatum vidisse, non toto quidem ſui iti-
nere, sed jam non procul à capsula, jam non procul à
claviculis, iterum tamen coaleſcentem, ita ut ſpeciem
labyrinthi Bilsiani quodammodo repræſentanteſe viſus
fuerit. Ab eodem Ep. 51. Cent. cit. duplex chyli in ſub-
jecto muliebri cifterna ad lumbos ſita ſecante D. Sylvio
observata fuit; cujuſviſ ſacculi capacitas tanta erat, ut

pollicem suum caperet, qui versus superiora in unum truncum coibant; ut illud è figurâ, quamvis rudiore, adjectâ elucescit. Cui accenseri meretur Wilh. Wormius, Olai frater, qui itidem receptaculum chyli inter glandulas à Bartholino inventas detegente illud Sueco quodam, & monstrante Joh. van Horne vidit. Erat autem illud magnitudine articuli majoris digiti, pri-môque die luculentissimè comparuit, quod, postquam sequenti die disparuerat, dictus Suecus loco probè observato rursus ostendit, & immissio siphone lac & receptaculo & ductui injecit, uti idipsum testatur *Cent. II. Ep. 36, ad Barth.* Quibus denique subjungimus *Car. le Noble*, natione Gallum, in cuius *Observationibus rarís de ven. lact. mesent. & thorac.* conspecti receptaculi vestigia extant. Tradit nimirum ille duos è superiore ejus parte thoracicos canales longius productos, quorum dexter crassitie pennam anserinam æquat, sinister longè exilior existit; addit ambos minutis glandulis & pinguedine abundare, & in multos flexus, sinuososque anfractus variè cotonertos abire, & tandem adeò perfectè post medium curriculi sui spatiū sibi invicem jungi, ut ex duobus unus canalis, & quidem sinister remaneat. Præter eos, quorum mentionem jam fecimus, alii in scenam produci possent hujus novitatis Observatores; verum ad id, cuius gratia potissimum hæc dissertatio conscribitur, properantes iis allegandis supersedemus.